Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Ambrosii Calepini Dictionarivm Vndecim Lingvarvm

Calepino, Ambrogio

Basileae, 1616

O ante R

urn:nbn:de:bsz:31-107476

Visual Library

fluvium, non procul à Seleucia, vicinarum regionum emporium. Autor Strabo lib. 2. & 16.

Opiſthocomæ, ὀπισθοκόμαι, teſte Polluce, Eubœæ populi dicti ſunt, qui crines habebant verſus tergum reflexos: ſicut Acrocomæ dicti fuerunt populi in Thracia qui antias in fronte muliebriter gerebant demiſſas.

Opitergium. Vulgò *Oderzo*, Venetiæ mediterraneæ oppidũ, etiam hodie nomen retinens: cujus meminerunt Plin. lib. 3. cap. 19. & Ptolem. lib. 3. cap. 1.

Opiterginus, na, num pen. prod. Lucan. lib. 4: Hic Opiterginis moles onerata colonis Conſtituit.

Opites, Argivi cujuſdam nomen proprium, quem Hector in bello Trojano interfecit.

Oppia, Vna fuit ex Veſtalibus, quæ convicta ſtupri, viva defoſſa eſt. Cujus ſcripſit Epitaphium Stroza filius, Veſtalis virgo, læſi damnata pudoris, Contegor hoc vivens Oppia ſub tumulo. Liv. lib. 12. hanc Opimiam vocat.

Oppianus, ὀππιανός, Grammaticus & Poëta inſignis, Ageſilai & Zenodotæ filius, ex Anazarbe, ſive (ut Suidæ placet) ex Coryco Ciliciæ civitate ortus. Scripſit ἁλιευτικά, κυνηγετικά, & ἰξευτικά, verſuum viginti millibus: quæ quum M. Antonio, Severi filio obtuliſſet totidem aureos ſtateras ab eo accepit.

Ops, Opis, gener. fœmin. [Ger. Die Fraum *Saturni*, welche ſunſt auch *Cybele* genannt wird.] Filia Cœli ex Veſta, & ſoror & conjux Saturni, quæ & Rhea dicitur Græco vocabulo, ἀπὸ τοῦ ῥεῖν, quod eſt fluere: propterea quòd terra rebus omnibus affluat. Eadem Cybele appellatur, vel à monte atque oppido Phrygiæ Cybelo, ubi ſacra ejus primò inſtituta ſunt. Vel ἀπὸ τῶν κυμβάλων, quibus in ſacris ejus utebantur ſacerdotes. Ops autem idcirco dicta putatur, quòd terræ ope vita hominum ſuſtentetur. Vel ab antiquo nomine Ops, quo veteres pro divite utebantur, quemadmodum contra, Inopem pauperem & egenum dixerunt. Veteres enim quorum opes præcipuæ in re pecuaria, & agricultura conſiſtebant, terram hujuſmodi opum largitricem divinis proſecuti ſunt honoribus, Opemque: hoc eſt, opulentam nuncupavère. ¶ Hæc etiam Mater Deûm appellatur à poëtis, quòd putarent cœleſtes omnes in terris fuiſſe genitos, & ob inſigne aliquod meritum in cœlum fuiſſe tranſlatos.

Opſophagus, ὀψοφάγος, Apicii cognomen fuit, qui omnes gulæ proceres longo intervallo ſuperavit.

Opus, untis, ὀποῦς, οῦντος, Civitas Locrorum Epicnemidiorum, non procul ab Aſopo fluvio. Ovid. lib. 1. de Pont. Facta cæde puer Patroclus Opunta reliquit.

Opuntii, Populi dicuntur, ὀπούντιοι, & ὀπούντιοι: & propinquus ſinus Opuntius.

O ante R.

Oratha, æ, ὄραθα, Oppidum eſt Meſopotamiæ, ad Tigrim fluvium, Stephanus.

Orbana, Deæ cujuſdam nomen, quę Romę ad ædem Larium aram habuit. Autor Plin. lib. 2. cap. 7.

Orbelus, ὄρβηλος, Thraciæ mons eſt in ea parte, qua Macedoniæ eſt contigua, non procul à Pangæo promontorio: à quo vicina regio Orbelia dicta eſt, ὀρβηλία. Vide Plinium lib. 4. cap. 10. & 11.

Orbilius Beneventanus, Grammaticus fuit, Horatii in pueritia præceptor, quem libro 2. Epiſtol. ob nimiam in pueros ſævitiam Plagoſum vocat. Huic in ſenectute accidiſſe ferunt ut omni prorſus memoria deſtitueretur. Itaq; per jocum Literarum Oblivio eſt appellatus. Vixit ad centeſimum propè annum, reliquitq; filium Orbilium, & ipſum Grammaticum. Ex Tranquillo.

Orcades, pen. corr. ὀρκάδες Ptolemęo, Inſulæ Oceani Septentrionalis ultra Britanniam & Hyberniam, numero triginta, ſecundùm Pomponium, parùm inter ſe diſtãtes. Vulgò *Orknes*.

Orcelis, ὀρκελίς, Vrbs Baſſetanorum in tractu Tarraconenſis Hiſpaniæ. Ptolem. lib. 2. cap. 7.

Orchamus, Aſſyriorum rex fuit, qui Leucotheam filiam ab Apolline vitiatam vivam defodit. Vide fabulam apud Ovid. lib. 4. Metam.

Orchoa, ę, ὀρχόη Babyloniæ oppidum eſt, in confinio Arabię, quam deſertam vocant. Ptol. lib. 5. cap. 20.

Orchomenus, pen. corr. ὀρχομενός, Theſſaliæ fluvius antea Minyeus appellatus, teſte Plin. lib. 4. cap. 8. ¶ Orchomenus item, ſive Orchomenum, Bœotiæ oppidum eſt, ad ſui nominis fluvium ſitum, olim potentiſſimum, utpote cui & Thebani aliquando tributum pependerint (ut teſtatur Strabo lib. 9.) pręſertim ſub Eteocle tyranno, qui primus Gratiis templũ extruxit. ¶ Fuit item ejuſdem nominis oppidum in Arcadia, non procul à Lebadia, quod Strabonis ætate interierat, ut ipſe teſtatur lib. 8. ¶ Fuit & tertium in Eubœa inſula non procul à Cariſto: cujus meminit idem Strabo lib. 8.

Orchomenius, a, um, adject. ὀρχομένιος.

Orcus, Vide in APPELL.

Ordeſſus, ὄρδησσος, Fluvius maximus Scythiæ, qui ab Oriente profluens, miſcetur cum Iſtro. Herod. lib. 3.

Ordovices, Populi fuerunt Britanniæ inſulæ arduis montibus proximi: apud quos (ut Tacitus ſcribit libro 12.) Hoſtorius dux Romanus Carataccum regem vivum cepit, Romamque miſit.

Oreades, ὀρειάδες, & ὀρεάδες, Mõtium Nymphę. Nam ὄρος Græcis montem ſignificat. Virgil. 1. Aen. Exercet Diana choros, quam mille ſecutæ Hinc atq; hinc glomerantur Oreades.

Oreges, Pars Tauri montis, in Caſpium mare vergens. Plinius lib. 5. cap. 29.

Oreſitrophus, ὀρεσίτροφος, Vnus ex canibus Actæonis: ita dictus ἀπὸ τοῦ ὄρεσι τρέφεσθαι, quaſi in mõtibus educatus. Ovid. 3. Metam. Prima Melanchætes in tergo vulnera fecit, Proxima Theridamas, Oreſitrophus hæſit in armo.

Oreſte, ὀρέστη, Vrbs, cujus Hecatæus in Europa meminit: gentile ſimiliter, Oreſte.

Oreſtes, [ὀρέστης. Ger. Ein Sohn Agamemnonis und Clytemneſtræ, welcher hernach dieſe ſein Mutter/ vnnd ſeinen Stieffvatter vmbracht hat] Agamemnonis, & Clytemneſtræ filius, ſic appellatus ob ferinam atque agreſtem, & quaſi montanam naturam: cui ſoror Electra necem parari ab Aegiſtho, qui patrẽ Agamemnona interfecerat, matremq; conſtupraverat, prævidens, ipſum per pædagogum in Phocidem clàm ablegat ad Strophium Phocenſium principem, qui Agamemnonis ſororem duxerat. Hic XII. annos demoratus, cum pædagogo ſuo Argos rediit: ubi ſub ſpecie hoſpitum Phocenſium, quos Strophius miſerat, ut Oreſtis obitum nuntiarent, intromiſſi ad Clytemneſtram, eandem cum Aegiſtho adultero conſcia Electra in ultionem patris occidit, ut ſcribit Sophocles in Electra, & Euripides in Oreſte. Deinde Pyrrhum quoq; Macarei ſacerdotis ope in Apollinis templo interfecit, eò quòd Hermionem Menelai filiam ſibi priùs deſponſatam rapuiſſet. Propter quæ ſcelera agitatus eſt furiis, quibus nõ antè purgari potuit quã ad aram Dianæ Tauricæ, illuc à Pylade perductus, perpetrata facinora expiaverit. Vide ſuprà in dictione IPHIGENIA. Amicũ habuit Pyladem, perpetuũ omnium ſuarũ profectionũ comitem, periculorumque omnium ſocium, cum quo tam ſanctè amicitiam coluit, ut alter pro altero mori non recuſaret. Cicer. de Amic. Qui clamores tota cavea nuper in hoſpitis & amici mei Pacuvii fuerunt nova fabula? quum ignorante rege uter eorum eſſet Oreſtes, Pylades Oreſtem ſe eſſe diceret, ut pro illo necaretur: Oreſtes autem, ita ut erat, Oreſtem ſe eſſe dicere perſeveraret.

Oreſtis, ὀρεστίς, Regiuncula Macedoniæ, in eo tractu qui mari Adriatico imminet, cujus populi dicuntur Oreſtæ, Amantinis finitimi: quorum meminit Plin. lib. 4. cap. 10.

Oretæ, ὀρεῖται, Gens Indica, ſecũdùm Strab. lib. 15. poſt Arbim amnem Arianorum: quos Plin. lib. 6. ait, non Indorũ, ſed propria uti lingua. Lucan. lib. 3: Tum furor extremos movit Romanus Oretas.

Oreus, pen. prod. ὄρειος, Dictus eſt Liber pater, à montibus, in quibus ei fieri ſacrificia ſolebant. Feſtus.

Orgia, orum, pen. cor. ὄργια, Neutri generis & pluralis numeri, apud Græcos, teſte Servio, primùm dicta fuerunt quævis ſacra. Erat enim Orgiorum appellatio generalis, quemadmodũ apud Latinos Ceremoniarum. Poſtea tamen factum eſt ut præcipuè hoc nomine Liberi patris ſacra nominarentur, ἀπὸ τῆς ὀργῆς: hoc eſt, à furore, ut quidam putant, quòd hæc præcipuè ſacra à mulieribus furore correptis celebrarentur: vel ἀπὸ τῶν ὀρῶν: hoc eſt, à montibus in quibus potiſſimùm hæc ſacra fiebant. Innovabantur autem tertio quoq; anno: unde Trieterica dicta ſunt: id eſt, triennalia. Virg. 4. Aen. ubi audito ſtimulant trieterica Baccho Orgia.

Oribaſius, ὀρειβάσιος, Sardianus, Iuliani principis fuit familiaris, à quo & Quęſtor Conſtantinopolitanus factus eſt. Scripſit libros Medicinę LXXII. ad Iulianum: & eorum epitomẽ libris novem ad Euſtachium filium. Præterea de regno, & de affectibus. Hæc Suidas. Eunapius verò Græcus autor in eo libro quem de Sophiſtarum vitis conſcripſit, ejus vitam pluribus perſequitur. Oribaſius, *ait*, Pergamenus genere, in eloquentia pariter & medicina profecit, à Iulianoq; propterea ut medicus fuit accerſitus. Invidia deinde ſuccedentium principum, bonis privatus, atq; in exilium ad Barbaros miſſus, animũ philoſophi ſemper in calamitate retinuit. Tanta apud eas nationes gratia, & opinione ob doctrinam & medicinę experimenta perſeveravit, ut pro Deo penè coleretur. Hæc ille.

Oricos, ſive Oricum ὤρικος, Civitas Epiri, à Colchis condita, in confinibus Macedonię, teſte Plin. lib. 3. cap. 23. juxta quã naſcitur terebinthus, nigrum lignũ habens & ſolidum in buxi ſpeciem. Vnde Oricia terebinthus, apud Virg. 10. Aen. aut quale per artem Incluſum buxo, aut Oricia terebintho Lucet ebur. De hac & Lucret. lib. 3: Tunc qui Dardaniam tenet Oricon, & vagus altis Diſperſus ſylvis Athamas, &c. Hæc quondam inſu-

dam inſula quum eſſet, continenti juncta eſt. Plin. lib. 2. cap. 86. Epidaurus & Oricum inſulæ eſſe deſierunt.

O'rigĕnēs, penultima correpta, ὠριγένης, (qui & Adamantius dictus eſt) Theologus magni nominis, qui tempore Philippi primi Chriſtiani Imperatoris, fidem Evangelicam & ſcriptis, & viva voce non parùm illuſtravit. Incidit tamen in aliquot errores ab Eccleſia damnatos, quos nonnulli ſuſpicantur ab æmulis, ejus libris fuiſſe inſperſos. Hic adhuc adoleſcens fervido quodam ſtudio atq; acri incenſus, ut liberiùs & citra pudicitiæ periculum Evangelicæ profeſſioni poſſet incumbere, ſeipſum caſtravit.

O'rion. [כסיל chesil. ὠρίων.] Quaſi Vrion, dictus eſt filius Iovis, Neptuni & Mercurii. De hoc variè fabulantur poëtę. Quidam tradunt Iovem, Neptunum, & Mercurium, quum terram peragrarēt, ſuperveniente nocte ad pauperem quendam Hyreum, quem Ariſtonicus Erytheum appellat, divertiſſe, qui eos hilari animo ſuſcepit: quumque deos eſſe animadvertiſſet, occiſo bove iiſdem ſacrificium obtulit. Quo officio motus Iupiter, juſſit ut aliquid muneris à ſe peteret, ſtatim voti compos futurus: qui nihil ſeſe magis cupere reſpondit quàm filium: conjugem tamen ſe non habere, neque velle ducere, quòd morienti uxori fidem dediſſet ſe aliam non ducturum. Iupiter igitur & reliqui dii corium immolati bovis ſumpſerunt, in quod quum urinam emiſiſſent, juſſerunt ut terra obrutum completis maternis menſibus ſolveret. Quod quum feciſſet, invenit puerum, quem ab urina Orionem nominavit. Hic poſtea adultus evaſit venator maximus, adhæſitque Dianæ. Sed quum viribus fidens, gloriaretur nullam eſſe feram quam non conficeret, diis inſolens verbū ulciſcentibus, contigit ut terra ſcorpionem pareret, à quo ictus periit. Diana igitur ſatellitis ſui obitum graviſſimè ferens, eum in cœlum juxta Tauri ſydus conſtituit. Lucanus verò à Diana ſcorpione emiſſo occiſum dicit, & deorum miſeratione in cœlum ſublatū. Horatius ab ipſa Diana ſagittis confoſſum tradit, eò quòd vi voluerit eam cōprimere. Servius autem hanc fabulam longè aliter pertexit: Oenopionis Siculum habitum eſſe filium, qui quum Candiopen (quam alii Meropem vocant) ſororem vitiaſſet, à patre excæcatus eſt. Conſulto igitur oraculo reſponſum accepit: Si per pelagus ad Orientem pergeret, ut oculorum cōcavitates ſemper haberet Soli oppoſitas, lumina recuperaturum. Quod quum facere conaretur, audito ſtrepitu, ad Cyclopas pervenit, ex quibus unū humeris ſuis impoſuit, cujus ductu Solē ſemper adverſum habens, oculos recepit. Heſiodus Neptuni & Euriales filium facit: idque muneris à patre obtinuiſſe tradit, ut per ſummos fluctus poſſet incedere. Alii ferunt, cùm oculis ab Oenopione privatus eſſet, in Lemnum inſulam veniſſe, & ibidem à Vulcano caballo accepto ad ortum Solis pertexiſſe, & ſic viſum recepiſſe. Poſtea verò reverſum, Oenopionem ulciſci ſtatuiſſe ſed quum hic à civibus ſuis ſub terra occultaretur, in Cretam profectum: ibique ob arrogantiam à ſcorpione divinitùs immiſſo fuiſſe interfectum. Eſt autem ſignum cœleſte, quo oriente maximæ excitantur tempeſtates. Hinc Virgilius libro 1. Aeneid. Quum ſubito aſſurgens fluctu nimboſus Orion, &c. Sunt qui Græcè ab aquarum inundatione ſic dictum velint, quòd ortus ejus hyemis initium afferat, & mare ac terras tempeſtatibus turbet: ὀρίνω enim turbo & concito ſignificat. Plautus Iugulam vocat, quòd ſtellarum fulgore quaſi gladiis armatus, terribilis videatur. Si fulget, ſerenitatem: ſi obſcurat, tempeſtatem præ ſe fert. Habet autem hoc nomē apud Poëtas primam ſyllabam indifferentem: quod idcirco factum creditur, quod prima ſyllaba olim apud Græcos per ου diphthongum ſcribebatur: quæ ſecundùm proprietatem linguæ Doricæ in ω ſolet commutari: quā ratione conſtat poſſe produci. Poterit tamē etiam corripi, ſi abjiciamus ex prima ſyllaba vocalem ſubjunctivam, more Græcorum, qui ut brevem ſyllabam extendant, aliquando aſſumunt vocalem: ut longa contrahant, aliquando vocalem abjiciunt. Media autem ſyllaba ſemper producitur: Penultima verò obliquorū rurſus eſt indifferens. Lucan. lib. 1: Teſte tulit cœlo victi decus, Orionis. Verſus eſt ſpondaicus. Ovid. 8. Metam. ſtrictumq; Orionis enſem. Apud Catullum de Coma Beren. legitur nominativus Oarion: Proximus (*inquit*) Hydrochoo fulgeat Oarion.

Oritæ, ὠρεῖται, Populi ſunt Indiæ liberi. Steph. Strab. lib. 25.

O'rithōs, lege ORICOS.

O'rīthyiă, penultima producta. [ὠρείθυια Homero. Germ. Ein Fraw Boreæ, welche zu einem Wind iſt verwandlet worden.] Filia fuit Erichthei Athenarum regis, qui Pandioni in regno ſucceſſit, quam à Borea raptam, & in ventum converſam Poëtæ fabulantur. Verùm, ut Euſebius autor eſt, Boreas hanc ſibi in conjugem anteà denegatam rapuit: raptam tulit in Thraciam, & ex ea Zeten & Calain ſuſcepit, qui cum Argonautis in Colchos navigaverunt, & Harpyias fugaverunt. Vide CALAIS. Propertius libro 2: Iam Pandioniæ ceſſet genus Orithyiæ. ¶ Hoc etiam nomine dicta eſt Amazonum regina, quæ Marpeſiæ matri ſucceſſit in regno, Iuſtinus libro 2. quam à Borea raptam Poëtæ fabulantur: ita dicta, teſte Eraſmo, quòd in montibus malefica ſacra ſoleat peragere. Et quanvis ἀπὸ τοῦ ὄρους, deduci putetur, quod per ο parvum ſcribitur: tamen propter tot brevium ſyllabarum concurſum ο mutatur in ω.

O'rmĕnĭōn, ὀρμένιον Homero, Vicus eſt ad ſinum Pagaſęum, ſub monte Pelio. Vide Strab. lib. 9.

O'rnĕæ, ὀρνεαί, Vicus fuit ex agro Corinthio, in quo Priapi ſacra magna ſolennitate celebrabantur: unde Priapus ipſe dictus eſt Orneates. Autor Strabo lib. 8.

O'rneūs, nei, pen. prod. ὀρνεύς, Vnus ex Centauris, Ixionis & Nubis filius. Ovid. 12. Metam. Fuit & Orneus, Lycabasque, & ſaucius armo Dexteriore Medon.

O'rnithiæ, ὀρνιθίαι, Venti ſunt Septentrionales quotannis ſub initium Veris triginta ferè continuis diebus ſpirantes: ita dicti, ut credit Budæus, ab adventu avium, quòd id temporis hirundines & ciconiæ ad nos tranſvolant. Columella lib. 11. cap. 2: Decimo Calendas Martii quum Leo deſinit occidere, venti Septentrionales, qui vocantur Ornithiæ, per dies triginta eſſe ſolent.

Oroatis, Plin. ὀροάτις Straboni, Fluvius eſt Carmaniæ in confinio Perſidis, cujus meminerunt Ptolem. lib. 6. cap. 3. Plin. lib. 6. cap. 23. & Strabo lib. 15.

O'rōbĭ, ὀρωβὶ, Vrbs eſt Aſſyrię, in Mediterraneis. Ptol. li. 6. c. 1.

O'rōbătis, ὀροβάτις, Vrbs mediterranea Perſidis. Ptolem. lib. 9. capite 4.

O'rōdēs, ὀρώδης, Parthorum rex, à quo Craſſus captus fuit & interfectus. Vide Plutarch. in Craſſo. Eſt & Orodes Tuſci cujuſdam nomen apud Virgil. 10. Aeneid. qui Aeneę arma ſecutus, à Mezentio fuit interfectus.

O'rœtēs, ὀροίτης, Vir Perſa, & Sardum præfectus, qui Polycratem Samiorum tyrannum dolo captum ſuſpendit. Hic poſtea juſſu Darii & opera, aſtuq; Bagæi à Sardibus trucidatus eſt, ut ſcribit Herod. lib. 3.

O'rontēs, ὀρόντης, teſte Pomp. lib. 2. fluvii nomen eſt, qui dividit Syriā ab Antiochia. ¶ Eſt & nomen montis, inter quem & Orentem fluvium urbs Antiochia poſita eſt.

O'rontēūs, a, um, ὀρόντειος, Propert. libro 1: Aut quod Orontea crines perfundere myrrha.

O'rontes, ὀρόντης, Vir Trojanus, qui Troja capta cum Aenea in Italiam navigans naufragium fecit, ut ſcribit Virgilius libr. 1. Aeneid. Vnam, quæ Lycios, fidumque vehebat Orontem.

O'rōpŭs, pen. prod. ὠρωπὸς Stephano. Oppidum in Attica, in confinio Bœotiæ. Plin. lib. 4. cap. 7. Eſt & alia ejuſdē nominis civitas in Macedonia, patria Seleuci Nicatoris. Item alia in Eubœa, Apollinis templo clariſſima. Rurſus alia in Syria, non procul ab Amphipoli, à Nicatore condita aut certè inſtaurata, & à nomine patriæ ſuæ ita appellata. Sunt & aliæ nonnullæ quæ enumerantur à Stephano.

O'rphēus, [ὀρφεύς. German. Ein Poet auß Thracia, ein Sohn Apollinis, vnnd Calliopes, ein außbündiger Harpffenſchlaher.] Poeta ſeu vates genere Thrax, Calliopes & Apollinis filius, quem à Mercurio: ſive, ut alii habent, à patrē Apolline lyram accepiſſe ferunt, eaque tantum valuiſſe, ut illius cantu ſylvas & ſaxa moverit, fluviorum curſum prohibuerit, feraſque mitiores reddiderit. Eurydicem uxorem habuit, quæ Ariſtęum vim ſibi inferre volentem fugiens, à ſerpente occiſa eſt: ob cujus mortem Orpheus maximè contriſtatus, accepta lyra, ad inferos deſcendit, ubi ſuo cantu à Proſerpina uxorem Eurydicem recepit. Sed quum eandem non ſervata lege à Proſerpina ſibi impoſita, rurſum amiſiſſet, cœlibem vitā agere ſtatuit: quumque jam multas nuptias rejeciſſet, alioſque inſuper à mulierum conſortio deterreret, atque in puerorum amores pelliceret, à Mænadibus inter Bacchi ſacrificia juxta Hebrum fluvium occiſus & diſcerptus eſt: cujus membra paſſim per agros ſparſa Muſæ collegerunt, dederuntque ea ſepulturæ: lyra verò & caput in Hebrum dejecta, ad Lesbon inſulam delata ſunt, ubi caput ab incolis ſepulturæ mandatum eſt: lyra autem in cœlum aſſumpta. Virg. Aeglog. 3: Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus, &c. Alii Orpheum Ciconum regem, Oeagri (à quo Oeagrius appellabatur) & Polyhymniæ filium fuiſſe dicunt, atq; cum Argonautis in Colchos navigaſſe, ideoq; aſſumptum, quòd juxta vaticinium Chironis, Sirenes præteriri non poterant niſi præſente Orpheo. ¶ Sunt qui duos Orpheos fuiſſe dicant, quorum alterum Colchos navigaſſe perhibent.

O'rphēus, phea, pheum, pen. prod. ὀρφεῖος, Denominativum: ut Orphea cithara. Martial. lib. 1: Quicquid in Orpheo Rhodope ſpectaſſe theatro, Dicitur, exhibuit Cæſar arena tibi.

O'rphăĭcūs, adiect. ab Orpheus. Macrob. Comment. li. 12. liberum patrem Orphaici [illegible] ſuſpicantur intelligi.

O'rphnæūs, ὀρφναῖος, apud Claud. li. 1. de Rapt. Proſerp. unus eſt

eſt ex equis Plutonis, à tenebris nomen habens: Orphnæus crudele micans, Aethonque ſagitta Ocyor, & Stygii ſublimis gloria Nycteus Armenti, Ditisq; nota ſignatus Alaſtor.

Orrhĕă, ὀῤῥεία, Oppidum eſt in Occidentali tractu Britanniæ, teſte Ptolem.lib.2.cap.3. Vulgò Newcaſtel.

Orſĭlŏchus, ὀρσίλοχος, Filius fuit Idomenei. Hic patrē ſecutus ad expeditionem Trojanam, quum per totum bellum ex voto omnia ſucceſſiſſent, in exitu rei ob inſolentiam, cùm obſtaret totis viribus ne ex præda capti Ilii ſors debita daretur Vlyſſi, ab eo occiſus eſt.

Orthŏcŏrybantēs, ὀρθοκορυβάντες, Populi ſunt Medis & Hyrcanis finitimi, quorum meminit Herodot.lib.3.

Orthŏsiă, ὀρθωσία, Oppidum eſt in ea parte Syriæ, quæ Libano monti ſubjacet: cujus meminit Plin.lib.5.cap.20.

Ortī Heſperidum, κῆποι ἑσπερίδων, In Africa fuerunt inter duas Syrtes, Poëtarum fabulis plurimùm celebrati, quum revera nihil ferant præter oleaſtrum. Vide ſuprà in dictione HORTVS.

Ortōn, ὄρτων Ptolem.li. 3.ca. 1, Pelignorū urbs, hodie *Ortona.*

Ortŏpla, ὀρτόπλα, Liburniæ urbs. Ptolem.lib.2.cap.15. *Ortopula* hodie.

Ortygiă. [ὀρτυγία, νῆσος. Ger. Ein Inſel des Aegeiſchen Meers/ ſo jetzt *Delos* genannt wird.] Inſula in mari Aegæo, omnium Cycladum clariſſima, Apollinis alumna, templo & mercatu nobilis. Dicta Ortygia: quia in ea primò viſæ ſunt coturnices, quas Græci ὄρτυγας vocant: nos à ſono vocis *Quales* dicimus. Alii, ut Nicander, ab Ortygia oppido dictam putant. Virgil.3. Aeneid. Linquimus Ortygię portum. Hæc etiam dicta eſt Delos (ut docet Ariſtoteles) quòd quum antea ſub aquis merſa eſſet, ſubitò apparuerit: nam δηλόω, Oſtendo ſignificat. Ab aliquibus præterea Pyrpile nominatur, ab igne ibi primùm reperto. ab aliis Cynthia: ab aliis Aſteria: ab aliis Cynæthus. De Delo terræ motu concuſſa, vide Thucydidem libro 2. ¶ Eſt alia Ortygiæ nomine inſula in Sicilia, Syracuſarum pars, reliquæ urbi ponte conjuncta, quę fontē habet Arethuſam. Hæc ex oppoſito Plemmyrii Sicilii amnis ſita eſt: de qua Virg.lib. 3: Sicanio prætenta ſinu jacet inſula contra Plemmyrium undoſum, nomen dixēre priores Ortygiam, Alpheum fama eſt huc Elidis amnem Occultas egiſſe vias ſubter mare, quę nunc Ore Arethuſa tuo Siculis confunditur undis.

O ante S.

Oſcă, ὄσκα, Oppidum eſt Hiſpaniæ Tarraconenſis, in tractu Ilergerum. Autor Ptol.lib.2.cap.6.

Oſcĕlă, ὄσκελα, Lepontiorum oppidum in Alpibus Cottiis, autore Ptolemæo lib.3. cap.1.

Oſcī, ὄσκοι, Italiæ populi qui tractum maritimum Campanię tenuerunt, ab oris fœditate ita dicti. Vnde Obſcœna verba dicta (ut quibuſdam placet) quaſi Oſcena.

Oſcŭs, a, um, adject. Cic. Mario, lib.7: Non enim te puto Græcos, aut Oſcos ludos deſyderaſſe: præſertim quum Oſcos ludos vel in Senatu noſtro ſpectare poſſis. Horat.1. Serm.Sat.5: Meſſi clarum genus Oſci. Tellus Oſcea, Propert.lib.4.Eleg.2.

Oſīrĭs, pen.prod. Oſiris, vel Oſiridis, ὄσιρις. Fuit Iovis filius, ex Niobe Phoronei filia, ſucceſſitq; Phoroneo in regnum Argivorum. Poſtea tamen Aegialeum fratrem præfecit regno Achaiæ, & ad Aegyptios transfretavit gloriæ cupiditate. Quos quum ſubegiſſet, Iſidē (quæ & Io vocabatur) Inachi primi regis Argivorum filiam duxit uxorem. Vbi, quū illa literas, Oſiris varias artes Aegyptios docuiſſet, uterq; divinos honores meruerunt. Tandem à Sityphone Aegyptio: vel (ut Servius) à Typhone fratre clàm occiſus, ab Iſide diu quęſitus eſt. Tandē apud Phialam juxta Syenem laceratus repertus eſt, curavitq; eum Iſis ſepeliendū in Abato inſula ejus paludis quæ Memphi proxima eſt: quam etiam Stygem: id eſt, mœrorem appellavit: nec niſi ſacerdotes, certis diebus, eosq; mitratos eò accedere voluit. Sed quū apparuiſſet Aegyptiis deinde bos quidam, Oſirim putarūt, adoraveruntq; ut Deum, & vocaverunt Apim: id eſt, bovem, eorum lingua. Deinde dictus eſt Serapis. [Germ. Ein Gott der Aegyptier under der geſtalt eines Ochſen.] Tibullus lib.1.Eleg. Te canit, atque ſuum pubes miratur Oſirim Barbara, Mephiten plangere docta bovem. Mart.lib.9: non illam mille cataſtæ Vincebant, nec quæ turba Serapin amat. De Oſiride ſic habet Euſebius lib.de Præpar. Evan. Diodorū Siculum inducens, Aegyptios ferunt primos omnium motū, ordinemq; cœleſtium corporū admiratos, Solem & Lunam deos putaſſe, ac Solem quidē Oſirim, Lunā Iſim nuncupaſſe, à proprietate quadam inditis ipſis nominibus. Nam ſiquis ad Latinam linguā verba transferat, multioculus Oſiris dici poteſt, neq; id abs re. Radiis enim ſuis quaſi multos reb. immittit oculos, quibus omnia perſpicit ut etiā Poëta dicit: Sol qui terrarū flammis opera omnia luſtras. Quāvis nonnulli Græcorum poëtæ Dionyſium eſſe Oſirim confingant. Iſim verò Priſcam Latinè dicere poſſumus. Lunæ hoc nomine indito; quoniam ſempiterna, priſcaq; ſit: Cui idcircò cornua depingunt: vel quia quum minor eſt, cornuta videatur: vel quòd bos ei apud Aegyptios ſit dedicata. Ferūt Oſirim apud Aegyptios inſitionē, & aratrū, viniq; uſum primùm reperiſſe, aliaq; nōnulla quę latè proſequitur Tibull.lib.1.Eleg. ¶ Oſiritis item herba eſt ramulos ferēs nigros, tenues, lētos, & in iis folia nigra ceu lini, ſemēq; in ramulis nigrū initiò, deinde colore mutato rubeſcens. Verba ſunt Plin.lib.27.cap.12. Vulgus Herbariorū *Linariam* vocat. [Ger. Leinkraut/ Harnkraut/ Schiſſkraut.]

Oſiſmii, Populi ſunt Galliæ Lugdunenſis ad Ligerim amnē. Plin.lib.4.cap.18 Cæſar Oſiſinos vocat.

Oſquĭdātes, Populi ſunt Galliæ Aquitanicæ, apud Plin.lib. 4. capite 19.

Oſſă, ſæ, ὄσσα, Mons in finibus Theſſaliæ, Centaurorum ſtabulum, quē Seneca dicit Olimpo olim fuiſſe conjunctū: Herculis autem opera fuiſſe abſciſſum, ab ea parte ubi per Tempe fluit Peneus fluvius. Lucan.li.1: & tantus in æthera clamor, Quātus piniferæ Boreas quum Thracius Oſſæ Rupibus incubuit.

Oſſæŭs, a, um, ὀσσαῖος, denominativum. Lucan. lib.6 Theſſaliam qua parte diem brumalibus oris Attollit Titan, rupes Oſſæa coërcet.

Oſſĭgĕrānĭă, Regio Hiſpaniæ Bęticæ vicina: cujus meminit Plin.lib.3.cap.1.

Oſſŏnŏbă ὀσσονόβα, Luſitaniæ civitas, non procul ab Anæ fluvii oſtiis, teſte Ptolemæo lib.2.cap.5.

Oſtĕŏdēs, ὀστεώδεις, Inſulæ ſunt Siciliæ adjacentes ab ea parte qua Africam ſpectat. Autor Plin.lib.3.cap.8.

Oſtĭă, ſtię. [ὤστια, Stephano: ὤστια, τά, Straboni. German. Ein Statt *Italiæ* an den außgengen der Tyber gelegen.] Vrbs in oſtio Tyberinis ſita, ab Anco Martio condita (ut inquit Liv.lib.1.ab Vrbe) in ipſo maris, fluminiſq; cōfinio; ut totius mundi opes illò, veluti maritimo urbis hoſpitio, reciperentur. Ab hoc Oſtienſes, ὠστιανοί & ὠστιανοί dicti.

Oſtĭenſĭs porta Romæ dicitur ea quæ Oſtiam verſus ducit, ὠστιανὴ πύλη. Ea nunc *ſancti Pauli porta* appellatur.

O ante T.

Otanes, ὀτάνης, Perſa nobilis, unus ex his qui cū Dario in Magos conjurarunt. Vide latiùs apud Herod.lib.3.

Othryădēs, ὀθρυάδης, Nomen Lacedęmonii viri, qui cùm controverſia nata eſſet inter Lacedæmonios & Argivos de agro Tyreate, placuiſſetq; ut ea lis trecentorū utrinq; prælio decideretur, ſolus ex Spartiatis ſuperfuit, duobusq; qui ex hoſtib. reliqui erant in fugā verſis, patriæq; parta victoria, ne ſolus ex ſociis in patriam rediret, ſibi manus intulit. Autores Valerius lib.3.cap.2, Plutarchus in Parall. & Ovid. in Faſtis.

Othryſius, adject. ut Hebrus, Othryſius in Claudiano.

Othrys, ὄθρυς, Theſſaliæ mons eſt, non procul ab Oeta, Centaurorum olim ſedes. Luc.lib.5: Solſtitiale caput nemoroſus ſubmovet Othrys.

Otreus, ὀτρεύς, & Mydon, Fratres fuerunt Hecubæ & filii Ciſſei, & patrueles Polymneſtoris, ut annotavit Porphyrius in 3. Iliad.

Otŭs, ὦτος, & Ephialtes, filii Neptuni fuerunt ex Iphimidea Aloëi uxore, quos Poëtę fabulantur nono ętatis anno in novem jugerum altitudinē excreviſſe, quo corporis robore fretos, etiam diis bellum movere, monteſque montibus imponentes, cœlū ipſum oppugnare auſos, donec Apollinis telis cōfici, temeritatis ſuę pœnas dedēre. Vide Hom.lib.11.Odyſſ.

O ante X.

Oxŭs. Amnis in lacu Oxia, ut inquit Ptol. ſive Oxo, ut Solinus.

Oxyrrhīnchŭs, civitas Aegypti dicta ab oxyrrhincho piſce qui ibi templū habuit. Cæterùm Aegyptii omnes Oxyrhinchum piſcem colunt. Nam quædam animalia ſunt quę Aegyptii univerſi colunt, quemadmodum ex terreſtribus tria, bovem, canem, felem: ex volatilibus duo, accipitrem, atq; ibin: ex aquatilibus duo, lepidotum piſcem, & oxyrrhinchum. In Strabone lib. 17.

O ante Z.

Ozolæ, ὀζόλαι, Populi ex Locris, Aetoliæ oram incolentes ad ſinum Criſſæum, quorum oppida enumerantur à Ptolemæo, Molycria, Naupactus, Antirrhium, & Evanthia. Vide Strab. lib.2.cap.9.

P

PAchynŭs, penultima producta. [πάχυνος. Germ. Das Vorgebirg *Siciliæ* gegen Auffgang.] Promontorium Siciliæ Peloponneſum ſpectans: ab aëris craſſitudine nomen habens. Nam παχὺ pingue & craſſum dicitur. Virg.lib. 3.Aen. Præſtat Trinacrii metas luſtrare Pachyni. Priſcianus mediam hujus dictionis ſyllabam nullo veterū exemplo corripuit: quod non auſim imitari: Qui procul effuſis Pachyni diſtenditur oris.

Păcĭnŭs.